

citia ad arma capienda se impulsus constanter affirmans, summam in Regem (uti subiectum, ac beneficiarium decet) observantiam profiteretur. Id Senatus consilium magni Henricus facere visus est; nam per Ferrerium Patribus gratias agit; qui amiciorem Veneta Republica Henricum habere neminem testatus, cum pares prægravi imperii ponderi a Deo Optimo Maximo sibi commissi præconsultores nactus non esset, crebro Senatus sententiam exquisitum, ejusque prudens non minus, quam fidele consilium receptum, affirmavit.

Igitur Gratianopolim Catharinam matrem mittit, ut, an officio quidquam efficere posset, experiatur. Cumque Bellagardium imperium non excussurum, Salassiorumque ditiones traditurum Veneti cognovissent, Franciscus Barbarus legatus statim Gratianopolim se conferre, a Decemviris jubetur; Reginam matrem ad rationem inveniendam, qua absque armorum strepitu controversiæ componantur, hortari; Bellagardio, quem eodem iturum nuntiabatur, suadere, ut, quæ se facturum dixerat, ea re ipsa prestaret. Sed cum Barbarus Bellagardium, quod procul esset, convenire non posset, Gratianopolim profectus, mandata Decemvirum exequitur. Catharina, legato perhumaniter excepto, gratiis ob impensam ea in re operam Senatui actis, non alienam (et si filii dignitatem agi diceret) a concordia se fore ostendit. Subjecit, Gallorum copias, Ugonottorumque præsertim, ne inde aliquid detrimenti catholica religio patiatur, invitam in Italiam emissuram; ingenti atque irreparabili expertam damno, quot incommoda, quot clades ex diffidiis religionis emergerent: his remediis suprema tantum adauctam necessitate usuram. Verum inde animorum perplexitas, atque anceps sollicitudo haud parum augebatur, quod Philippus foedere sibi Helvetios junxisset, eo consilio, ut (quemadmodum ferebatur) aditum Gallis ad Italiam intercluderet. Quod Henricus veritus, ut machinas astusque Hispanorum vel declinaret vel eluderet, cum Bernatibus foedus iniit, Genevæque patrociniū suscepit, tutius consulere rebus suis nequaquam posse ratus. Cum vero Bellagardius colloquium Lugduni cum Regina matre vel metu, vel existimationis causa abnuisset, Monluella, sex a Lugduno leucis, Sabaudi ditionis, eligitur. Ibi Regina, Allobrogum Dux, ac Bellagardius ipse